

ticipem esse dixi, non devorare. Ita in conviviis participem fieri licet, devorare omnia velle non licet. Rursum quemadmodum ss. patriarchæ cum pluribus et speciosis uxoribus fuere castiores, quam multi hodie cum una deformi, quia non libidinis, sed filiorum procreandorum gratia illis jungentur: ita sæpe contingit viros principes cum multis et delicatis cibis ac vestibus temperantiores atque modestiores esse, quam sint aliqui mediocri conditionis vescentes cibis vilibus. Siquidem: *In cibis et aliis præterentibus rebus, non usus rerum, sed libido utentis in culpa est,* ait S. Aug. lib. III. de doctrina christiana, c. XII. et super epist. Joan. *Deliciæ quælibet si absque desiderio percipiuntur, non efficiunt, et vilis cibi appetenter accepti impediunt profectum abstinentiæ.*

IV. Quare interrogavit Dominus Phariseos: *Si licet sabbato curare?* Annon licebat illi, quod volebat facere? Respondetur primo, ut stultam eorum cogitationem confunderet, qua sentiebant esse vetitum sanare die sabbati. Quid enim est aliud interrogare, num liceat sabbato curare, quam quærere, utrum in templo liceat orare? Sabbatum enim piis operibus et divino cultui dedicatum esse constat, uti templum orationi. Itaque hæc una quæstione, dum extrahit quodammodo gladium e vagina, vulnerat hostes, et secat eos medios. Arguit simul hæc nostra sæcula, in quibus mundus non jam Deo, sed potius diabolo consecrat dies festivos, ludis, choreis, comessionibus, somno, ebrietati, otio, etc. ita ut pene licentiam a mundo petere debeat, si quis illis diebus velit bene agere, et subtrahere se a peccatis aut peccandi occasionibus. Quot enim festis diebus passim audiuntur lyre et lyripipia, quæ vicinos molestant, et impediunt a piis exercitiis? Quot clamores et insanæ cantilenæ in tabernis? Quantus chorizontium strepitus? Quot lusorum et compotatorum conventicula, ad quæ abstrahuntur socii, vicini, amici? Quot undique laqueos tendit auceps diabolicus hominibus? Nimirum quemadmodum Jeroboam volens continere populum Israel in sua potestate, ne reverteretur ad legitimum dominum suum Roboam regem Juda, erexit duos vitulos aureos, unum in Bethel, alterum in Dan, jussitque, ut ne ascenderet populus in Jerusalem ad sacrificandum, sed iret potius ad vitulos illos, III. Reg. XII. ita agit diabolus, qui ut a Dei veri cultu, a templi visitatione et piis operibus homines avertat, erigit eis passim vitulos aureos, ludos, choreas, symposia, nundinas, etc. jubetque, ut cum istis transigant sabbata sua. Sed quid subdit Scriptura? *Factum est verbum hoc in*

peccatum, inquit. Ita et festa nostra, quæ ad salutem nostram instituta sunt, fiunt nobis in peccatum et perditionem.

Secundo, ut occasionem murmurandi et cavillandi, hoc modo eis præscinderet, et animos eorum erga se exasperatos emolliret. Dum enim interrogati tacent, hoc ipso fatentur, se non posse culpam sanationem ægri. Ad hunc modum, cum quis videt, se alicui esse lapidem offensionis, etiam præter culpam; aut occasionem dare aliis murmurandi et detrahendi; decet, ut se purget, proximos informet qua mente vel quo jure hoc aut illud egerit: non aliter ac charitas fraterna monet, uti lapidem e via propellamus, quem timemus alteri fore offendiculum. Sic etiam emolliendi sunt animi iracundi; benigna scilicet interrogatione aut veniæ petitione, quia: *Sermo mollis frangit iram.* Item cum quid acturi, timeamus aliorum offensionem, decet prius interrogare, num bona eorum venia fieri posset?

V. Cur Judæis sabbatum tam rigide præceptum? Non enim licebat eis facere in eo quidquam operis, non egredi de loco suo, (Exod. XVI.) non succendere ignem in tabernaculis, ac proinde nec cibos coquere, (Exod. XXXVI.) adeo ut qui ligna collegerat in sabbato, juberetur a Deo lapidari, Num. XV. Respondetur primo, ut esset aliquis in hebdomade dies, quo Deo vacarent recolendo ejus beneficia, creationis potissimum et liberationis ab Ægyptiaca servitute, ut patet Genes. II. et Deut. V. Si enim separatim tempus habemus ad somnum et cibum capiendum, cur non etiam ad Deum colendum? Secundo, ut impensis corpori sex diebus, impenderetur animæ septimus, quo negotia salutis et animæ suæ componerent. Tertio, ut avaritia hominum compesceretur, et discerent Deo fidendum, qui nequaquam passurus sit eos interire, licet subinde cessent e laboribus. Denique, ut eo die daretur requies a laboribus, servis, ancillis et jumentis, qui alioquin ab heris prorsus attererentur laboribus; ut patet Deut. V. ubi dicitur: *Ut requiescat servus tuus et ancilla, sicut et tu.*

Et hæc eadem rationes urgent magis Christianos, ad sabbatum suum (quod est dominica dies ex institutione apostolorum ob resurrectionem Christi) sedulo observandum. Majora enim accepimus a Deo beneficia, magis spirituales esse debemus et Dei cultui intenti, magis ab avaritia remoti, magis erga servos et ancillas misericordes. Unde non mirum, si quando Christiani ob violationem hujus præcepti gravius puniti sint et sæpius.

VI. Quæ sunt illa, quæ licent diebus festis, quæ non? Respondeo primo, non licere opera

servilia, uti mechanica, pingere, militare, etc. Quæ tamen excipiuntur primo, cum opus est parvum et modicum, non diu durans, ut tonsio unius hominis, labor ad tres horæ quadrantas, etc. secundo, quæ cum cultu divino sunt conjuncta, ad eumque pertinent: tertio, quæ fiunt causa pietatis et charitatis in proximum, uti infirmas et miserabiles personas: quarto, quæ ob necessitatem propriam vel alienam fiunt, ut cum famuli jubentur laborare ab heris, justo metu adacti; et quæ fiunt ob necessitatem humanam, nec absque notabili damno proprio vel alieno differri, vel omitti queunt: quinto, cum quid introductum est communi consuetudine, cui superior non contradicit.

Respondeo secundo, liberalia omnia licere, præterquam quæ jure vetita sunt. Uti imprimis mercantiæ: deinde causæ forenses et quæ illas concernunt, uti judicium, sententia causa mortis, seu etiam pœnæ civilis jusjurandum. Hæc enim a jure prohibita sunt festis diebus.

VII. Quomodo jubet Dominus, ut non discumbamus primo, sed ultimo loco? Nemone primo loco sedere debet? Ultimo quomodo plures possunt? Respondetur, Dominum velle, ut non eligamus, seu ambiamus, aut præripiamus primos recubitus, sed quantum in nobis est, potius ultimum locum appetamus. Potes ergo et in primo

loco, si ad illum vocatus eoque dignus sis, sedens, sedere interim corde in ultimo, inferiorem te et viliores cæteris reputando. Unde auctor imperfecti, in Matth. hom. XLIII. ait: «Non tantum curat Deus, ubi corpus hominis jaceat, sed in qua parte mens conscientiæ sit collocata. Ergo quod jubet nobis in ultimo loco recumbere, non solum sic jubet, ut corpore in novissimo jaceamus, sed etiam animo, ut novissimos nos esse judicemus. Nam sine causa loco se humiliat, qui corde se præfert.» Sic ille. Peccat ergo contra hanc regulam primo, qui honoratiorem convivii locum paribus vel dignioribus præripit: secundo, qui cum longo intervallo cæteros præeat, quærit sibi postremum, hoc enim est manifeste indecens, et suspicionem ingerit affectatæ modestiæ: tertio, qui postremo loco positus, affectat digniorem. Quoniam igitur omnes, quicumque et ubicumque simus, ultimum obtinere locum possumus, modo et ratione indicata, contendamus, dilectissimi, contendamus omnes pro hoc loco: quod fiet, si cum Paulo inter peccatores, primos nos existimemus; inter justos vero, infimos. Ille enim se peccatorem *primum*, id est, maximum vocavit, I. Timoth. I. sanctorum vero *minimum*, ad Ephes. III. Tales et nos reputemus, ut ibi a Deo exaltari mereamur et audire illud: *Amice, ascende superius.*

AUCTARIUM.

CONCIO I.

QUOMODO OBSERVANDI DIES FESTIVI.

I. Intrandum in domum conscientiæ. — II. Sumendum animæ pabulum. — III. Extrahendus e puteo peccator. — IV. Juvandi pauperes elemosyna. — V. Abstinentum a servilibus operibus. — VI. Colloquia de rebus piis instituenda.

THEMA.

Et ipsi observabant eum. Luc. XIV.

Duplicis conditionis observatores habuit Christus Dominus in suis verbis et actionibus, benevolos et malevolos. Illi erant ejus discipuli, et fideles quidam alii, qui Christum observabant, ut verba ejus cordi suo imprimerent, et facta imitarentur. Isti erant legisperiti fere, Scribæ et Pharisei, qui Dominum observabant, ut inveni-

rent quod culparent, et ad tribunalia deferrent. Nos etiam, auditores, dum festivos dies colimus, habemus observatores, et duplicis etiam generis: angelos beatos, ut pium nostrum cultum laudibus concelebrent, et Deo representent; et angelos reprobos, ut neglectum cultus divini, et sacrorum dierum contemptum memoriæ commendent, quo tandem prævaricatores in judicio accusent. Quæ cum ita sint, habemus certe omnes cur attendamus nobis in hoc sacro cultu. Qua in re ne erremus, et malevolorum observatorum ludibrium fiamus, non video quid securius, quidque melius agamus, quam si observemus cum piis et fidelibus, quid egerit Christus Dominus in hodierni evangelii sabbato: id enim si et nos imitari voluerimus, non dubium quin bene, quin pie et laudabiliter festa nostra celebraturi simus. Ad magistri igitur nostri cœlestis actiones attendamus.

I. Christus intravit in domum principis Pharisæorum. Domus uniuscujusque conscientia est, in qua quisque latet, sibi soli cognitus: in hanc ergo et nos intremus festis diebus, et scrutemur internam nostram familiam, quo loco omnia sint, quam composita, quam integra. Hoc utique voluit Deus, quando Exodi XVI. præcepit: *Maneat unusquisque apud semetipsum! nullus egredietur de loco suo die septimo.* Quomodo apud semetipsum, nisi in domo conscientiae suae? Multi cum prodigo filio tota septimana vagantur in regione longinqua et extra domum suam, imo extra semetipsos: ergo saltem die septimo revertantur ad seipsos. Ille: *In se reversus dixit: Surgam et ibo ad patrem meum,* Lucae XV. *Bene in se revertitur,* inquit ibi glossa, *qui a se recessit:* Theophylactus exponit: *A sua exteriori evagatione rediens.* Totis sex diebus vagantur multi foris, in parando victu, lucro, deliciis, curis, sollicitudinibus, ut liberis et conjugi, carni et mundo serviant; seipsos interim negligunt. Quare saltem die septimo, seu festivo, redeant ad se, et cogitent ubi sint, quam longe a Deo recesserint, a quo et quem in finem creati sint, quantum ab eo deviarint, quomodo in gratiam cum Deo Patre suo recipi possint, etc. Ad formicam nos ablegat Sapiens, Proverbiorum VI. *Vade ad formicam, o piger, inquit, et considera vias ejus, et discite sapientiam.* Quid vero agunt formicae? Hoc inter alia, quod singulis diebus prodeunt ad labores, sed interlunio cessant, nec e domo egrediuntur, teste Plinio, libro XVIII. capite XXIX. et libro XXX. capite XI. Quid vero agunt die interlunii? Putantur opera sua interna et domestica lustrare, circumire et instaurare, ut scribit Altrovandus, libro de insectis: quomodo scilicet Deus, etiam post perfecta sex dierum opera: *Vidit cuncta quae fecerat,* Genesis II. Ergo si hoc formicae, non faciat et homo? Non intret semel in hebdomade propriam suam domum, ut eam perlustret, resarciat et instauret? Augustus Cæsar, cui plura quam ulli unquam obvenisse feliciter tradunt, non desinebat quietem sibi precari, et vacationem a republica petere: identidemque repetebat se victurum sibi Suetonius: Jacob etiam, cum serviisset socero suo Laban annis quatuordecim, veniam abeundi ad sua verbis illis petiit: *Tu scis quomodo servierim tibi; justum est igitur, ut aliquando provideam domui meae,* Genesis XXX. Cui, quæso, plerique serviunt totis sex diebus? Mundo ejusque curis ac negotiis; multi etiam carni et ipsi dæmoni. Nonne igitur justum est, ut saltem die septimo vel quocumque festivo provideant domui suae et animae propriae saluti? *Quid enim,* inquit Salvianus, libro III. ad Ecclesiam catho-

licam, *sive tam stultum, sive tam perditum, quam ut aliquis de suo non sibi consulat? Quam infidelis est, quam insipiens, qui ut alium divitem faciat, animam suam ipse condemnet?* Intravit autem Dominus in domum Pharisæi, utique hypocritæ, (quales plerique erant Pharisæi) et quid in ea invenit? Fictos amicos, invidos, ambitiosos, primos expetentes accubitus. Tu, si ingrediaris domum mentis tuæ, forsitan invenies etiam hospites hujusmodi: Pharisæum inquam, et sepulcrum dealbatum, foris candidum, intus plenum ossibus mortuorum: pomum foris ridens et rubicundum, intus gemens et verme exesum. Aperi hoc sepulcrum, scinde pomum, et stude nosse teipsum, in die saltem festo.

II. Intravit manducare panem. Hæc Christi intentio dirigit nos ad pabulum animæ præbendum in festis diebus. Quodnam vero illud? Panis verbi Dei et eucharistiæ. Prior ille quam necessarius adeoque frequentandus sit, ostendunt panes illi propositionis duodecim veteris testamenti, propositi in duabus mensis, qui per singula sabbata cum recentibus commutari debebant; quia scilicet intra septem dierum spatium priores aridi fiebant et ad esum inidonei, Levitici XXIV. Idem vero contingit verbo Dei, nisi crebro, ac si fieri potest, singulis sabbatis nostris audiat: perit enim e memoria et æstimatione nostra, nisi crebro inculcetur ac renovetur, ut expertum se lamentatur David, Psalmo CI. *Percussus sum ut fenum, et eruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum;* veritatem scilicet doctrinæ cœlestis, ut exponit Bellarminus ibi. Dum enim sol prosperitatis affulget, facile obliviscimur Dei et salutis nostræ: inde ut fenum arescimus. Panis ergo verbi Dei vires reparare et virorem animæ debet. Unde Sanctus Gregorius Nazianzenus, in oratione de nativitate Domini ait: « Pro! quot mihi festos dies singula Christi mysteria suppeditant! Quorum omnium unum hoc caput est, atque unus hic scopus, scilicet mea perfectio et instauratio. » Panis alter in altera mensa propositus, est sancta eucharistia; quæ cum sit lignum vitæ nostræ spiritualis, sæpius etiam est degustanda, non secus ac lignum vitæ, quod (quia vim habebat finitam ac limitatam) ut immortalitatem homini tribuere posset, sæpius delibandum erat, ut deficientes sensim vires repararet. Et quidem olim Christiani per aliquot sæcula singulis dominicis diebus sacro illo epulo reficere se solebant. Quia vero fervor ille et fames spiritualis paulatim in hominibus defecit, et panis ille panis angelorum (Hebr. *abarim*, fortium) est, summa animi puritate præditorum (quemadmodum et panes propositionis nonnisi

in mensa purissima, et ut vult Abulensis, aurea ponebantur), idcirco ejus loco saltem spiritualis communio in sacra missa singulis percipienda foret; videlicet per fidem, desiderium et humilitatem, qua sacro illo epulo summe quidem desiderato sese indignos reputent, ideoque extramensam ad pedes Domini cum Magdalena ponant, vel cum Syrophœnissa sub mensa sese collocent, veluti catellos, qui vel micas solum ab ea mensa expectent; vel cum Zacchæo ex arbore fidei Christum aspiciant, contenti ejus intuitu, quam ob suam vilitatem et impuritatem invitare et suscipere non audeant in domum suam; vel cum centurione dicant: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.*

III. Priusquam Dominum manducaret panem, disseruit cum Judæis, et bovem aut asinum collapsos forte in puteum extrahendos asseruit, etiam die sabbati. Ergo ingressuri templum ad sacras illas, quas diximus, mensas, prius elaborent ut asinum et bovem, qui aliud nihil sunt quam stupidus et improvidus peccator, extrahant e peccati, imo et inferni, cui obnoxius fit, puteo et barathro. Stupidior bove et asino peccator est, quia bruta illa non insiliunt in puteos, sed impelluntur solum, aut casu illabuntur, indeque eluctari totis viribus conantur: extracta non reincident, sed in posterum sibi cavent. At peccator sua sponte insilit in puteum; deinde, non laborat ut quamprimum extrahatur; denique, nec cavet sibi a relapsibus, tametsi novit facile et pronum esse labi in peccati puteum, sed difficillimum egredi. Ergo, licet statim ac quis lapsus in peccatum est, omnem movere lapidem debeat, ut quamprimum resurgat; quia tamen pauci ad salutem suam tam attentis sunt, saltem die dominico primum hunc laborem suscipiant, ut funem confessionis, vel saltem contritionis apprehendant, eoque sese extrahant. Dies dominicus, dies resurrectionis est, in quo Dominus noster cum multis sanctis redivivus e sepulcro prodiit. Nemo ergo die resurrectionis maneat in sepulcro. Hinc solemus die dominico, ex antiqua consuetudine, stare ad orandum, quasi Deo per penitentiam jam reconciliati et in gratiam recepti. Dies ille solis, et quod sol inter planetas septem hoc ille inter septem hebdomadæ dies: non ergo admittit tenebras, non fert peccatores. Consuetum fuit Hebræis faciem perungere (sabbatinis maxime diebus) pretioso aliquo et odorifero liquore, quo nimirum in calida regione sudorem, et qui inde oritur, fetorem abstergerent, ut patet ex libro Ruth, capite III. vers. III. lib. Judith. X. vers. III. II. Reg. XII. § XX. Luc. VII. § XLVI. Quanto magis satagendum Chris-

tianis, ut peccati fetorem quem per septimanam contrahunt, die festo abluant unguento penitentiae, cum ad Dei conspectum sub s. missa accedunt.

IV. Vidit ante se hydropicum ad ingressum domus, et sanavit eum. Videmus etiam nos, festis maxime diebus, præ foribus ecclesiae varie afflictos, miseros, egenos: hos sanare potestis vos qui estis divites. Quomodo sanare? Da vinum hydropico, et sanabis ejus hydropem, seu aquæ appetentiam: non enim appetet aquam, qui habuerit bonum vinum: da eleemosynam pauperi, et sanabis ejus pauperiem: da afflicto consolationem, et obliviscetur ad tempus miseriae suae. Non habuit Christus, quod daret, aurum et argentum; dedit aliquid mœstis (et communiter in sabbatis) sanitatem et gratiam suam: tu saltem da quod minus est, panem aut pecuniam; imo quo ditior et potentior es, eo ditiores da eleemosynam, si imitari Christum cupis. Quæ enim major eleemosyna, quam impertire ægro sanitatem, quam impertit Christus? Hinc Tobias senior juniore: *Quomodo potueris, inquit, ita esto misericors? Si multum tibi fuerit, abundanter tribue,* Tob. IV. A magna arbore multos expectamus fructus, paucos a parva. Magna arbor fuit quæ dixit: *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini,* Ps. LI. In quem locum S. Chrys. hom. XXXII. in epist. ad Hebr. « Non sufficit, inquit, olivam esse, sed opus est eam esse frugiferam. Sunt enim misericordes, sed modica per totum annum tribuentes, aut per singulas septimanas, aut si quando fortuna progrediuntur; isti olivæ quidem sunt, sed non fructiferae, etc. » Deinde, Christus non rogatus sanitatem hydropico contulit, quia is forsitan propter diem sabbati coram Judæis aliis petere eam non est ausus. Sed nimirum Christus ex solo ejus aspectu, et ventre aquis tumido, statim intellexit quid miser sibi vellet, qui rogare non auderet. Ita Christianus non expectet preces pauperum et fractorum; ipsa eorum miseria opem implorat, fortius quam vox. Hinc Ps. XL. dicitur: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem,* h. e. qui ex aspectu eorum mox intelligit quid velint. « Non enim est perfecta misericordia, ait S. Aug. l. L. hom. XXXIX. quæ precibus extorquetur, sed, si tacet mendicus, loquetur pallor in facie, pede lassus, fessus et elisus, nusquam suspectus. » Decet autem tunc imprimis, cum ecclesiam fideles ingrediuntur ad exorandum Deum, exaudire prius orantes pauperes, in quibus latet Christus; ne audiant illud Prov. XXI. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, ipse clamabit, et non exaudietur.* Scimus etiam asperum Dei verbum, Deut.

XXXII. dictatum in immisericordes his verbis: *Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum; quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aqua in via, quando egressi estis de Ægypto.* Quidam volunt excludi eos ab ingressu templi, alii a municio Judæorum; utrumque gravis pœna, et simul ignominia erat. Ex quo discat Christianus se indignum fieri ingressu ecclesiæ, si pauperes ante eam jacentes, cum potest, non juvat, pane saltem et aqua.

V. Interrogavit: *Si licet sabbato curare?* Clarum erat curam ægri esse contra legem sabbati: ne tamen Judæis scandalum qualicumque modo præberet, voluit eorum saltem tacitum consensum prius requirere: docens hac cautela ne nimis faciles simus in declarando tertio decalogi præcepto ex proprio iudicio, et spernendis etiam levibus ejus transgressionibus, si scandalum præsertim inde oriri queat. Atque hoc, ni fallor, est quod Isa. LVIII. dixit Deus: *Si averteris a sabbato pedem tuum, (hoc est, longum iter non feceris, ultra mille passus scilicet) et revocaveris sabbatum delicatum, etc. cibabo te hæreditate Jacob patris tui.* Cibi delicati magna diligentia coquendi sunt, quia parvos etiam errores coquorum ostendunt, unde et vitiantur. Hujusmodi cibus est caro ferina, qua delectabatur Isaac; et quia talem cibum, ferinæ saltem simillimum (ex duobus scilicet hædis partes delicatioribus) et ad gustum ejus paratum obtulit ei Jacob, impetravit ab eo benedictionem de rore cœli et pinguedine terræ, Gen. XXVII. Delicatus dies e septem Deo est segregatus, in quo ipse suas delicias quærit inter homines: delicate igitur et ad gustum ejus celebrandus est, ut cœlestibus simul et terrenis bonis benedicere eos dignetur. Docent hanc delicatam sabbati observationem vel ipsa bruta animalia, uti scribit et testatur curiosus Palæstinæ investigator Adricomius, in descript. terræ sanctæ, voce *Engaddi*. Fontem esse in Ægypto ait, in quo Deipara puerum Jesum laverit, cum in Ægyptum fugisset, ideo fontem Jesu appellatum: ex eo irrigari hortum balsami; et quia ejus aqua ad hoc insufficiens est, ex alio puteo in eundem fontem aqua deducitur, beneficio rotæ a quatuor bobus. « Mirum dictu, inquit, verumtamen a meridie sabbati usque ad auroram diei lunæ, boves nullo verberare impelli possunt, ut in protrahenda aqua laborent: quod est fidei nostræ testimonium celebre. » Mater S. Petri Cœlestini Pp. « Ad Dei sanctos devotissima, (ait Petrus de Aliaco card. Cameracensis, in vita S. Petri Cœlestini, apud Surium 19. maii) eorum festivitates magno cum honore colebat; in festo tamen de-

collationis B. Joannis Baptistæ, quia sequenti die panem facere opus erat, sero illo fermentum disponere volens, cœpit cum timore aquam in farinam mittere. Et ecce tota farinæ massa subito visa est vermibus scatere. Tunc illa tremens et in terram cadens, a Deo veniam precatur, et statim farina in statum pristinum rēvertitur. »

VI. In convivio inspersit pios sermones de humiliore loco eligendo, de invitandis pauperibus, de convivio cœlesti, proposita parabola cœnæ magnæ. Docet ergo dies festos transigere honesta conversatione ac colloquiis piis, etiam sub mensa: hoc enim est sabbatum sanctificare, sacra in eo tractare, concionem ruminare, libros spirituales legere, pias historias recensere, sanctorum gesta enarrare, templa visitare, vesperas adire, et similia. In hujus rei commotionem præcepit Deus, Numerorum XXVIII. ut in sabbato, præter quotidianum et juge unius agni sacrificium, mane immolarentur alii duo, adeoque tres agni, quo sciremus Deum in feriis diebus triplo magis laudandum ac colendum, quam in aliis: sanctis nimirum cogitationibus, deinde piis colloquiis, denique bonis operibus. Sacri enim dies sacris actibus celebrandi: nec minus delinquere videntur, qui vanis et illicitis operibus eos violant, quam si aleas aut chartas lusorias ad altare offerrent; neque enim minus sacri sunt dies Deo dicati, quam templa aut altaria.

Quid vero de his S. Chrysostomus? Nonnulli, ait, ser. VIII. de resurrectione, ex fratrum nostrorum numero festivos se esse dubitant, nisi gulæ, nisi ventri, nisi luxuriæ, satisfecerint. Dicendum nobis cum libertate est. Non est hoc, fratres, festivitatem colere Dei, sed coquinare. Vultis ergo scire quid sit hominem festivum esse? Imitamini in aliquo illos, qui primi hac festivitate usi sunt, dico sanctos Dei: quorum semper fuerunt, ut legimus, dies sobrii, noctes pudicæ, sanctæ vigiliæ, sopor castus, actus probi, conversatio honesta, vita sibi ex omni parte consentiens. Neque illos sequamur, quorum, ut ait apostolus, finis est interitus, quorum Deus venter est, et gloria in confusione. » Isti enim cum sinum suum implere bonis operibus in sacris diebus deberent, implent sinum diaboli malis operibus, non secus ac Turcicus ille sacrificulus, qui in convivio, dum suam longam manicam variis implere cupidibus ex mensa subreptis laboravit, ad extremum deprehendit se non suam, sed proxime sibi assidentis manicam incaute apprehendisse atque implexisse, in legatione Busbequii. Non ita nos, auditores, non repleamus saccum dæmonis nostris transgres-

sionibus, unde ipse depromat accusationum tela, quibus nos configat atque confundat, nec pascamus ipsius stomachum fame et inedia nostrarum animarum. Observat ille nos, et diligenter notat quidquid contra decorum agimus in festis, ut nos actis nostris jugulet. Dirigamus oculos nostros, non ad solum accusatorem, sed ad spectatores quoque angelos sanctos, qui ad hoc observant nos, ut pios festorum cultores adjuvent in terris, et celebrent in cœlis.

CONCIO II.

QUID FACIENDUM SIT DIEBUS DOMINICIS.

I. Abstinendum a peccatis, et ab illis resurgendum. — II. Supersedendum negotiis et curis sæcularibus. — III. Danda liberalius elemosyna. — IV. Audiendum Dei verbum. — V. Sacra missa audienda.

THEMA.

Si licet sabbato curare? Luc. XIV.

Sæpius Christus in sabbatis curare morbos consuevit, quodque notandum, ultroneus et a nemine rogatus. Ita hic Lucæ XIV. hydropicum; ita Lucæ XIII. mulierem incurvam; ita Lucæ VI. hominem habentem manum aridam; rursum Joannis IX. cæcum natum: et Joannis V. languidum ad piscinam. Quamobrem Judæi ipsum persequerentur, et ad necem quærebant, velut legis transgressorem; cum tamen miracula non nisi opera pietatis, et Dei potius quam hominis essent. Quare Christus nihil eos moratus, sabbatum curatione morborum cohonestare voluit. Sed cur? Ut indicaret in sabbatis curandas esse animas: ob curam enim animarum, curam adhibuit corporum. Et: *Quæ faciebat corporaliter etiam spiritualiter volebat intelligi*, ait Augustinus, serm. XLIV. de verbis Domini. Voluit proinde docere dominicam debere propriam esse diem curæ, non corporum, sed animarum. Videndum ergo quomodo festivis diebus animi curandi.

Quinque homines reperio in evangelio curatos a Christo in sabbato; qui sane non obscure indicant quinque curas animæ adhibendas diebus dominicis, seu festivis.

I. In hodierno evangelio hydropicum curavit. Quem vero is designat nisi peccatorem? De eo namque Job XV. dicitur: *Abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem*, hoc est, peccata tam libere perpetrat, ac si nulla prorsus pœna luenda essent, sicut aqua nullo pretio bibitur. Sed corrigenda est hæc bibacitas saltem in sabbato, cessandum a peccatis, quia scri-

IV. PARS ÆSTIVALIS.

ptum est: *Observa diem sabbati, ut sanctifices eum*, Deuteronomii V. sanctis scilicet operibus colas, nec peccatis inquines. Hinc vel ipsi improbi Judæi Christum in die festo capere non sunt ausi: *Non in die festo*, aiebant. Est enim dies ille dominicus appellatus, quia ejus servitio deputatus. Quare si quis in peccatum lapsus est, curet sacro illo die iterum resurgere per penitentiam, et si non per confessionem, saltem per contritionem. Hoc enim est, quod innuit parabola Christi de asino in puteum lapso: per quem intelligit ad litteram hydropicum, mystice peccatorem. Quid enim imprudens peccator, nisi bos et asinus in puteum inferni lapsus? Dies dominica dies resurrectionis est, in qua nec Christus manere in sepulcro voluit, sed summo mane resurgere. Unde et nos in ejus memoriam stamus eo die ad orationem, quo et olim Christiani, velut Deo reconciliati, et stabant et communicabant. Ad hæc sabbatum institutum est propter quietem tam servorum quam jumentorum, asini et bovis, Deut. V. At quomodo asinus quiescet in puteo? Quomodo anima tua in statu peccati lethiferi? Erue igitur illam, ut in die quietis inveniat quietem. Si enim S. Hieronymus, ad v. Vigilant. ait: « Quando iratus fuero, et aliquid mali in animo meo cogitavero, et me nocturnum phantasma deluserit, basilicas martyrum intrare non audeo: ita totus et corpore et animo contremisco; » tu quomodo audebis cum gravi et certo peccato ingredi domum Dei?

II. Lucæ XIII. mulierem inclinatam, quæ omnino sursum aspicere non poterat, erexit die sabbati. Quis talis? Respondet S. Gregorius, hom. XXXI. in evang. *Peccator dum desideria inferiora sequitur, a mentis suæ rectitudine curvatus*, quasi dicat: Homo curis et negotiis sæcularibus gravatus, qui eo quasi pondere incurvatus, tota septimana terram dumtaxat aspicit, et terrena quærit, pro victu, vestitu, familia, conjugio, liberis sollicitus. Hic ergo in sabbato nostro erigere se debet, et cœlum potius ac divina, quam terram et sæcularia contemplari. Idem typice mandatum, Exod. XVI. cum Judæis prohibuit Deus in sabbato manna colligere (quod inclinato corpore fieri utique debuit) nec permisit foras exire: sed manere unumquemque apud semetipsum jussit. Sic fecisse primos Christianos patet ex antiquorum pp. decretis. Primo, S. Gregorius Magnus, in epist. ad quemdam (apud Joan. diac. l. IV. vitæ, cap. LI.) ait: « Dominico die a laboribus cessandum est, atque omnimodo orationibus insistendum, ut si quid negligentiae per sex dies agitur, per diem resur-